

autheritatem. *Greg. Lop. in l. 2. tit. 6. p. 5. Barbos. l. 3. Jur. Eccl. cap. 15. num. 174.* Capitulum Sede vacante, quando ad ipsum solum, vel ad ipsum, & Episcopum spectat collatio, secus si solum ad Episcopum, nisi causa permutandi necessaria sit, vel Capitulum sit in quasi possessione conferendi, & admittendi tales permutaciones. *Barb. l. 3. Jur. Eccl. cap. 15. n. 176.* Idem possunt Prælati exempti jurisdictionem in suo territorio absolutam, & independentem ab Episcopo exercentes. *Greg. Lop. in l. 2. tit. 2. p. 5. V. del Perlado. Suar. de Simon. lib. 4. cap. 32. n. 14. Gonz. in c. 7. h. t. n. 8.* Secus alij Prælati, etiam jus conferendi habentes, si non habent jurisdictionem quasi Episcopalem in Clerum, & populum, solum privilegio, ut contra *Silo. V. Permutatio, 2. q. 2. Angel. n. 5. Sot. l. 9. q. 5. art. 2. tenent Gonz. in c. 7. h. t. n. 8. Barb. in c. 5. eod. ex n. 8. & alij.* Etiam requiritur consensus illorum, qui jus habent conferendi eligendi, vel presentandi ad beneficia, quippe illorum interest. Quod si consentium irrationabiliter præstare recusent, ab Ordinario admitti potest permutatio. *Azor p. 2. l. 7. cap. 29. q. 32. Garc. de Benef. p. 11. cap. 3. n. 19. & 21. Gonz. in c. 7. h. t. n. 8.* Permutaciones triangulares, & quadrangulares, cum verè sint resignationes, solum coram Pontifice possunt fieri: solum enim permittuntur permutaciones, quæ inter duas personas fiunt. 5. Antequam possessio capiatur, debet permutatio publicari in Ecclesijs Cathedralibus, vel Parochialibus, intra quarum fines beneficia sita sunt, ex *Const. Greg. XIII. Humano, 5. Jan. 1573. Barb. l. 3. Jur. Eccl. cap. 15. n. 18. Garc. de Benef. p. 11. cap. 3. n. 289.*

185 Beneficia in quibus permutantes jus in re questum habent, permutari possunt, etiam si nondum illorum acceperint possessionem. *c. 17. de Præbend. in 6.* Et beneficia manualia, & commendata in perpetuum: nam tunc commenda vim Tituli habet. Si ad tempus sint commendata, requiritur autoritas illius, qui commendavit. *Barb. lib. 3. Jur. Eccl. cap. 15. n. 164.* Beneficium potest permutari in manibus Episcopi cum pensione Ecclesiastica erecta in titulum, quia habet naturam beneficij, si in titulum erecta non sit, posse in manibus Episcopi permutari, tenet *Barb. l. 3. Jur. Eccl. cap. 15. n. 178.* Requiritur autoritatem Apostolicam, tenent *Suar. lib. 4. de Sim. cap. 33. n. 4. & alij.* Cum pensione Laicali, nequidem Pontificum possent dicuntur aliqui, quia esset simo-

nia Juris Divini, cum res spiritualis temporaliter daretur. Si aliquis tertius habeat gratiam expectativam in aliquo beneficio, ea non obstante, illud permutari valet, si fiat permutatio sine fraude, hoc est, ad excludendum præciè expectantem, *c. un. h. t. in 6.* Licet enim tale beneficium verè vacet, non tamen aliter vacat, quam ex causa permutacionis: ac proinde non debent conferri expectanti, sed alteri, qui beneficium permutavit. *Barb. l. 3. Jur. Eccl. cap. 15. n. 168.* Beneficia S. Pontifici reservata, sicut ab eo solum possunt conferri, sic illius solum autoritate permutantur. Non tamen possunt permutari beneficia alicui Ecclesiæ, Monasterio, vel beneficio unita, sive unio jam sortita sit effectum, cum jam ex eo titulus extinctus sit: sive unio non sit sortita effectum, cum talis permutatio impediret unionem, quod cederet in Ecclesiæ, vel Monasterij præjudicium: nec permutari possunt beneficia litigiosa. Nec potest permutari beneficium cum jure spirituali diversis ordinis: v. g. cum jure decimandi, vel cum jure patronatus, quia non est à Jure Canonico talis permutatio concessa: sed solum permutatio beneficiorum; & in materia odiosa non fit extensio. Unum beneficium potest cum pluribus comparabilibus permutari. Si sint incompatibilia, & in eorum incompatibilitate solus Pontifex dispensare possit, ejus autoritas ad permutacionem requiritur. Si Episcopus dispensare valet, illius sufficit autoritas. *Azor p. 2. l. 7. c. 29. q. 11. & alij.*

186 Beneficia inæqualia possunt inter se permutari, sive talis inæqualitas in spiritualibus consistat, scilicet, quod unum sit curatum, aliud simplex, aliud habeat dignitatem, vel administrationem, aliud non habeat: sive consistat in temporalibus, scilicet, quod unum habeat pinguius redditus, quam aliud: sed non potest excessus spiritualitatis unius: v. g. Dignitatis compensari cum excessu pretij alterius: hoc enim esset simonia Juris Divini. Si verò nudè permutarentur in manibus Superioris, in foro externo non præferretur talis simonia, quando non probaretur. *Suar. l. 4. de Simon. cap. 34. n. 3.* Imò nec quando beneficia sunt inæqualia, quoad temporalia: v. g. quod unum sit pinguius alio, potest hæc compensatio fieri sine autoritate Pontificis, ut contra *Abb. Cajet. & alios tenent Suar. lib. 4. de Sim. cap. 34. n. 10. Barbos. l. 3. Jur. Eccl. cap. 15. n. 181. Gonz. in c. fin. h. t. n. 3. arg. c. 7. l. 1. q. 3. ibi: Qui quis bonum al-*

terum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum in veniunt derelinquit. Pontifex tamen talem permutationem admittendo, solum impropiè in Jure Divino, simoniam prohibente, dispensat, mutando, scilicet, materiam, & separando partem reddituum à titulo pinguioris beneficij, camque alteri minus pingui beneficio applicando. *Text. in c. 6. h. t.* Ubi de autoritate Episcopi Ecclesiæ ad invicem permutantur, & possessiones earum, & pro minus valentibus pretium suppletur, loquitur de Ecclesiâ, prout est proprietas Monasterij, non prout confertur in titulum, ut in presenti loquimur. Ac proinde potest autoritate Episcopi cum alia permutari, pecunia compensando inæqualitatem possessionum annexarum, quæ omnino sunt separata à titulo spiritualis officij. De permutatione discurrendum est eodem modo, quo diximus de emptione, & ac proinde, quando celatur vitium rei, quæ permutatur, rescinditur permutatio intra tempus, quo rescinditur venditio, & similiter in alijs casibus, in quibus venditio, etiam rescinditur permutatio, & permutantes tenentur ad invicem de evictione. *L. 4. f. 6. p. 5.* Et etiam in permutatione solvitur gabella, *Hispani: Alcala. L. 2. tit. 17. lib. 9. R. C.* & quilibet permutantium solvet gabellam de re sua, juxta æstimationem, quæ de ipsa fiet arbitrio Judicis: quod si aliquis ex contrahentibus sit exemptus à gabella alter dumtaxat solvet pro sua parte, non verò pro parte exempti. *Acce. in l. 2. tit. 17. lib. 9. R. C. ex n. 45.*

T I T. XX.

De Feudis.

187 Feudum dicitur à fide, quæ hic fidelitatem significat, sumiturque pro re in feudum data, & sic contraponitur allodio, quod teste *Nebrißensii*, vocabulum barbarum est, significatque rem liberam, & propriam alicujus. Sed in presenti sumitur pro ipsa feudi concessione, prout est contractus. Qui feudum concedit, vel constituit, dicitur *Dominus*, vel *senior*: qui feudum accipit, dicitur jam communiter *vassallus*, licet olim, qui accipiebant feudum ab Imperatore, vel Rege, ut Duces, vel commites *vassi* dicebantur, qui verò ab ipsi Ducibus, vel comitibus feudum accipiebant *vassalli* dicerentur. *L. 1. tit. 26. p. 4. ibi: Feudo es bien-*

fecho, que dà el Señor à algun omne, por que se torne su vassallo, è èl face otorgage de ferle leal: è tomò esse nomè de fe, que debe siempre el vassallo guardar al Señor. Quando hæc omnia habet, dicitur *feudum proprium*, seu *rectum*, & tale in dubio præsumitur: quando in aliquo declinat à natura feudi, *improprium*, seu *non rectum* dicitur. Ad feudum ergo requiritur. 1. quod res sit immobilis, vel æquivalens immobili: v. gr. pecora, vel animalia, fundi, jura incorporalia venandi, vel pascendi, servitutes, usufructus, vectigalia, & jurisdictio. Rei enim mobilis, si usu confumitur, vel non datur dominium utile distinctum à directo, quod possit transferri in feudatarium, vel nullius considerationis est; si res non confumitur uti. 2. requiritur, ut ejus dominium utile in accipientem transeat. Et in hoc differt à locacione, & usufructu, commodato, precario, deposito, & pignore, non tamen transfertur dominium directum, & in hoc differt à mutuo, emptione, venditione, & alijs similibus contractibus. 3. Ut transeat ad masculos descendentes, & idque in perpetuum. 4. Ut Dominus præstetur fidelitas jurata, & in hoc ab emphyteusi differt, in qua non fidelitas promittitur, nec servitium personalia, sed Canon annuus, & realis, seu pensio, vel census præstatur. 5. Ut illo debeat servitium personale, & indeterminatum. 6. Ut concedatur gratis. 7. Ut sine Domini consensu nequeat alienari. 8. Ut sine culpa vassalli nequeat auferri. *L. 2. tit. 26. p. 4.*

185 Feudum est contractus utrimque obligationem producens, & tantum consensu perficitur, sicut emphyteusis: & posito solo partium consensu producit actionem Domino contra novum vassallum ad petendam renovationem investituræ, & vassallo contra Dominum ad defensionem. Feudum aliud est *vetus*, seu *antiquum*, quod scilicet quis, ab aliquo ex ascendentibus, qui jam illud adquisierat, obtinuit per successionem. Aliud *novum*, quod scilicet quis primo adquisivit, non per successionem, sed per concessionem, vel prescriptionem. Aliud est *hereditarium*, quod absolute alicui conceditur pro se, suisque hæredibus, etiam extraneis, & quicumque, & quomodocumque hæredes sint, succedunt in tale feudum. Aliud est *ex pacto*, & *providentia*, seu *familiare*, & *Gentilitium*, quod alicui concessum est pro se, ac liberis tantum, nulla mentione hæredum facta, & tale in dubio feudum esse præsumitur. Et tunc soli agnati masculi,

culi, ex legitimo matrimonio nati succedunt, etiam si minimè heredes sint. Aliud *mixtum*, quod alicui concessum est pro se, ac filiis, ac heredibus, ita ut successor in talisdeum debeat esse filius, & haeres primi vassalli. Aliud est *Ecclesiasticum*, quod constituitur à Prælato Ecclesiastico in bonis ad Ecclesiam pertinentibus, sive concedens, vel accipiens sit persona Ecclesiastica, vel Sæcularis. Aliud est *masculinum*, quod ad solos mares transit; aliud *fœmininum*, quod etiam transit ad fœminas. Aliud est *ligium*, quod à ligando dictum est, quando in concessione requiritur, ut vassallus præster Domino fidelitatem aduersus quoscumque, excepto R. Pontifice. *Arg. c. 19. de iur. jur.* & hoc feudum solum à Supremo Principe, creari datur, & talis vassallus dicitur *homo ligius*. *Clem. 2. de Re iudic.* Aliud est *non ligium*, quando vassallus promittit Domino fidelitatem, sed non aduersus quoscumque. Sic, qui ab inferiore recipit feudum, ita promittit fidelitatem, ut Rex, vel antiquior Dominus sit exceptus. Et tale in dubio præsumitur feudum.

189 Feudum quidem dare possunt Reges, & alij Principes Supremi, vel alij illiæ viri in dignitate constituti. *L. 3. tit. 26. p. 4.* Et hos solos feudum posse confirmare, tenent aliquid contra communem, & in hanc opinionem inclinatur *Greg. Lop. ibid.* Hinc Prælati Ecclesiarum cum Domino non sint rerum Ecclesiæ, non possunt eas de novo infeudare sine solemnitatibus necessarijs, possunt tamen sine eis infeudare, seu renovare feuda antiqua, ad Ecclesiam, ob delictum, v. gr. vassalli, vel aliam ob causam reuerſa, si tales res ab antiquo sunt solite infeudari, non obstante juramento, de non infeudando. *c. fin. b. t. l. 3. tit. 26. p. 4.* ibi: *Mas las otras, que non fuesſen usadas à dar en feudo, non las pueden dar de nuevo.* Potest etiam rem concessam in feudum hic, & nunc amissam, ob vassalli delictum, si non facile potest recuperare à vassallo, vel ab alio tertio, cui vassallus in feudum, in iura Ecclesiæ, concessit, potest, inquam, nullis adhibitis solemnitatibus, & juramento non obstante, alicui Laico potentiori in feudum concedere, ut à vassallo, qui deliquit recuperet, & ab Ecclesiâ feudum recognoscat. *c. fin. b. t. Pupilli*, etiam absque Tutoris autoritate, possunt feuda antiqua renovare. Feuda nova constituere nequeunt, etiam cum Decreto Judicis, nisi pro pretio infeudent, ad æs alienum solvendum, cum gratuis concessiones

immobilium nequeant facere, etiam cum Judicis Decreto. *L. 3. C. si major. facti.* Feudum possunt accipere omnes, qui contrahendo valent obligari, etiam superior ab inferiori: sed non per se; sed per vassallum servitia præstabit, dum tamen non sint alterius Domini vassalli, saltem *L. 3. tit. 26. p. 4. & ibid. Greg. Lop. V. En la Ley. Clerici Sæculares*, & Communitates Religiosæ possunt etiam à Laicis feuda accipere. *c. 6. de Foro compet. c. un. §. 2. de Statut. Regul. in 6. dummodo Clerici, vel Religiosis concedatur feudum francum, hoc est, sine onere servitij personalis: vel si cum servitio, ita concedatur, ut sic cum statu Clericali compatibile, vel si incompatible sit, & non possit à persona Ecclesiastica honestè præstari, liceat tamen ipsi, per alium substitutum, illud præstare. Communitas feudum recipiens debet constituere, quasi vassallum, tum ad investituram accipiendam, tum ut post illius mortem investitura renovatio petatur, cum Communitas non moriatur. Minor sine Curatore feudum accipiens ad fidelitatem, & obsequia personalia tenetur, sicut pupillus, cum Curator rebus detur, Tutor personæ: ac proinde Minor potest sine Curatore ad obsequia personalia obligari, non pupillus sine Tutore. *L. 43. ff. de O. & A. l. 101. ff. de V. O.* Non possunt feudum accipere infames, & condemnati de aliquo crimine publico, usurarii manifesti, Hæretici, Apatitæ à fide, rei læsæ Majestatis, excommunicati non tolerati, deportati, banniti, & alij hujusmodi.*

190 Feudatarius debet homagium facere Domino flexis genibus, & manibus inter manus Domini positis, & jurando promittit Domino non revelare secreta, & adiutorium præstare, & bene consulere, & ejus damnis occurrere, & pacta iniura servare. Deinde Dominus illum investit per anulum, vel chirothecam, vel vexillum, vel hastam, vel gladium, aut per aliam rem, & per se, vel per alium cum mittit in possessionem rei in feudum data. *L. 4. tit. 26. p. 4.* & Dominus feudi tenetur de evectioe, si in re aliena investit vassallum. Et alia damna ipsi, si quæ obtigerunt, resarcire tenetur: quin, & fidelitatem licet non juratam, debet suo vassallo servare, cavendo, ne ipsi, vel ejus familie, aut rebus vis inferatur. Si in feudi constitutione certum servitium designatum sit, illud feudatarius adimplere tenetur: si nullum, tenetur vassallus Dominum juvare in bello. *L. 5. tit. 26.*

p. 4. In feudo Gentilitio, seu familia servatur modus præscriptus in ipsa feudorum constitutione: alias juxta Leges feudorum Juris Communis. Sic primo succedunt descendentes, naturales, & legitimi simul, si plures filij existunt, in capita, nisi feudum individuum sit. Si deficient descendentes, non succedunt ascendentes, sed fratres defuncti succedunt in feudum paternum, vel avitum. Etiam succedunt fratres in feudum emptum pretio omnium fratrum, quod si feudum de novo concessum fuit fratri defuncto, non succedunt alijs fratres, sed revertitur ad Dominum. *L. 7. tit. 16. p. 4.* Fœminæ regulariter excluduntur, quia in ipsis non conservatur familia, & quidem tam filix, & descendentes, quam foiores, & collaterales, quin, & masculi ex ipsis descendentes, qui cognati vocantur. *L. 6. tit. 26. p. 4.* Quando in feudo Gentilitio fœminæ admittuntur, solum debent admitti, quando diu non super est masculus, etiam alterius lineæ, procedentis tamen à primo feudatario; imò masculus descendens ex fœminâ fœminæ præfertur, nisi feudum hereditarium sit, aut fœmininum cum jure primogenituræ, quia tunc masculus remotior excluditur à fœminâ proximiori in gradu. Si fœminâ semel sit admissa, cum jam habeat jus quæsitum, non excluditur per masculum postea natum, nisi masculus jam sit in utero, quando fœminâ feudum adquisivit. *Arg. L. 7. ff. de Statu homin.* Si fœminâ semel excluda sit, & postea masculi deficient, feudum non revertitur ad Dominum, sed ipsa succedit. Clerici, & Religiosi nequeunt succedere in feudum Gentilitium, quod ad propagationem familie constituitur. *L. 6. tit. 26. p. 4.* Nec in illud, quod exigit servitia personalia statum Clericalem dedecentia, per ipsum vassallum necessario præstanda, possunt tamen succedere in feudum hereditarium, & francum, quod nulla requirit servitia personalia, sed solum Canonem realem in pecunia, vel alia specie, vel si requirit servitia personalia, non tamen dedecent ipsos; vel si dedecent, possunt per alium præstari. *c. 6. c. 7. de For. comp. c. un. §. 2. de Statu Regul. in 6.* Nec succedit in feudum ille, qui perpetuo laborat infirmitate, cujus impedimento nequeat servitia impolita exhibere. In feudo Regni, Comitatus, vel Marchionatus nullus succedit, nisi Dominus in concessione expresserit. *L. 6. tit. 26. p. 4.* Modus succedendi in Regiam Hispaniæ Monarchiam habetur in *L. 2. tit. 15. p. 2.*

Los omes sabios, y entendidos, catando el procomunal de todos, è consociendo que esta particion non se podria hacer en los Reynos, que destruidos non fuesſen, segun nuestro Señor Jesu-Christo dixo, que todo Reyno partido seria eſtragado, tovieron por Derecho, que el Señorio del Reyno non lo oviesse, si non el ſijo mayor despues de la muerte de su padre. E esto usaron siempre en todas las tierras del Mundo, do quier que el Señorio ovieren por lineage: è mayormente en España: è por evitar muchos males que acaescieron, è podrian aun ser fechos, pusieron, que el Señorio del Reyno heredassen siempre aquellos, que viniessen por la linea derecha. E por ende establecieron, que si ſijo varon, y non oviesse, la ſija mayor heredasse el Reyno: è aun mandaron, que si el ſijo mayor muriesse, ante que heredasse, si dexasse ſijo, è ſija, que oviesse de su mayor legitima, que aquel, è aquella lo oviesse, è non otro ninguno. Pero si todos estos falliesſen, debe heredar el Reyno el mas propino pariente que oviesse, seyendo ome para ello, non aviendo fecho cosa porque lo debiesse perder. Et hic modus succedendi in reliquis majoratibus servari debet, nisi aliud ab institutore sit dispositum: nam ejus voluntas, si honesta, nec contra jus sit, pro Legge debet servari. *L. 5. l. fin. tit. 7. lib. 5. R. C.* ac proinde solum deficientibus omnibus descendentibus legitimis viris, & fœminis possessoris, sit transitus, & regressus ad collaterales. Et quidem succedens in majoratum non succedit ultimo possessori, sed primo ipsius Institutori; ac proinde, ab ultimo possessore transit possessio civilis, & naturalis majoratus ad sequentem, quia præcedat celsio, traditio, vel apprehensio: imò etiam si antecessor alteri possessionem tradidisset. *L. 45. Taur. l. 8. tit. 7. lib. 5. R. C.* si possessor majoratus proficatur in Religione incapaci succedendi: viget in Religione S. Francisci, statim tranſit majoratus ad sequentem, *perinde ac si talis professus fuisset naturaliter mortuus.* Si Religio est capax succedendi, Monasterium percipit majoratum, dum professus vivit. In nostra Societate, qui non est professus trium, vel quatuor votorum in majoratum succedit. Item Clericus, etiam Sacerdos majoratum acquirit, ut patet in Cardinali Enrico, qui Sebastiano Regi Lusitanie in Regno successit: nisi in ipsa majoratus institutione tales excludantur, ut communiter sit. *Molin. de Just. & iur. tr. 2. D. 623. Greg. Lop. in L. 2. tit. 15. part. 2. Arcevedo in tit. 7. lib. 5. R. C. & alij.*

191. Dominus directus habet adversus vassallum actionem, ut ipsi præsentur omnia ea, ad quæ obligatur ipse vassallus: quæ actio est personalis, bonæ fidei, rei periculatoria, perpetua, & transit ad hæredes Domini, & vassalli. Vassallus acquirit in re feudali dominium utile, & ea potest uti, & frui, salva tamen substantia: & ad breve tempus potest alteri locare ejus submeditatem, & fructus; imò & alium subinfeudare absque fraude tamen, & sub eisdem conditionibus, sub quibus ipse accepit. Habetque adversus dominum directum actionem personalem, bonæ fidei, rei periculatoriam, & perpetuam, quæ utrimque transit ad hæredes. Vassallus ergo re feudali tamquam diligens paterfamilias debet uti, & frui, & compensare damna ab eo illata ejus dolo, lata, & levi culpa. Vassallus, nisi Dominus juramentum remittat, tenetur dum investituram accipit, jurare fidelitatem: hæc consistit in eo quod vassallus avertat damna imminenta Domino in vita, honore, & bonis fortunæ: ac etiam personis Domino proximè conjunctis: imò eas defendere debet in vita, honore, & bonis, debetque præstare in dominij directi recognitionem servitium, in feudo præscripta, quæ regularitè sunt militaria. Et quotiescumque mutatur Dominus directus, vel vassallus, renovatio investituræ intra annum, & diem est petenda, non tamen potest dominium utile rei feudalis ullo modo absque consensu Domini alienare, nec locare ad longum tempus. Si vassallus det in pignus Domini directo feudo, & interim non præstet servitium ex feudo debita potest Dominus fructus rei feudalis percipere, quin in fortem computet. *c. 1. b. t.* quia cum fructus percipiuntur ex feudo, si præstetur obsequium debitum, & nullum in hoc casu à vassallo præstetur, ipsi non competunt fructus rei feudalis. Si feudum non gratis, sed pro pecunia concessum sit, æquitas exigit ad vitandum usurarum periculum, ut fructus ex tali feudo percepti, in quantum justum censum excedunt, in fortem computentur. Quod si industria feudatarij aliqua meliorationes in re feudali sint factæ, non debet Dominus directus adquirere fructus feudi saltem integros. *Convar. l. 3. Var. cap. 1.*

192. Feudum *adquiritur* 1. ex contractu, vi cuius Dominus se obligat ad dandum alicui dominium utile alicujus rei, dominio directo retento, & vassallus ad fidelitatem, servitium, & obsequia invicem

obligatur. Post contractum quidem loco traditionis sequitur investitura, quæ significat firmare, vel confirmare. Et alia est *realis*, & *propria*, quando scilicet vassallus realiter in feudi possessionem introducit. Alia est *impropria*, quando scilicet, absque corporali traditione, aliquid signum eam significans vassallo traditur: v. g. sceptrum, quomodo Ecclesiasticis confertur investitura, vel vexillum, aut gladius, quomodo confertur secularibus. Vel alio modo juxta consuetudinem locorum. 2. acquiritur præscriptione longissimi temporis, nimirum 30. annorum, si feudum est secularis, vel 40. Si sit Ecclesiasticum. 3. successione ab intestato, de qua jam est dictum. Feudum itidem varijs modis *amittitur*. Et quidem 1. ex parte Domini directi, quatenus dominium directum consolidatur cum dominio utili feudatarij, si v. g. Dominus directus sine hærede decedat, vel si absque consensu feudatarij proprietatem alienet, nisi casu quo universitatem alienet: v. g. Castrum, vel comitatum, cui res feudales, & ejus jura sunt annexa. Item dominio privatur Dominus directus, si in vassallum delinquat tali delicto, propter quod, si vassallus in Dominum feudi deliquisset, feudo privaretur. *L. 9. tit. 26. p. 4. 2.* ex parte vassalli finitur. Et quidem hoc potest accedere, vel sine ejus culpa, & dicitur *aperiri Domino*, vel præcedente vassalli culpa, & delicto, quod quidem vocatur *felonia*, & tunc dicitur *feudum committi, vel fieri caducum*. Sine delicto vassalli amittitur feudum, si ipse fiat inhabilis ad servitium præstandum: v. g. si cæcus, vel Religiosus fiat, vel si feudo renuntiet; *arg. L. 6. tit. 26. p. 4.* ob delictum commissio- nis amittitur, si vassallus gravitèr Dominum directum offendat, vel per se, vel per alios, in vita, & corpore, honore, & bonis fortunæ, vel si violentas manus injiciat, vel gladium stringat, etiam vulnere, vel morte non secuta: vel si offendat uxorem, vel personas Domino proximè conjunctas. *L. 8. tit. 26. p. 4.* Vel si paricidium committat, ut citius succedat in feudum, vel crimen læsæ Majestatis. Si rem feudalem dolo, vel culpa lata deteriorer. Si eam sine consensu Domini alienet, contractu oneroso, vel lucrativo, per quem cominium, vel aliquid jus reale, sive in re constitutum in alium transferat, traditione secuta, licet poenitentia ductus statim revocet. Si totam rem feudalem alienet, totam amittit, si partem, partem tantum. *L. 10. tit. 26. p. 4.* ob de-

delictum omissionis amittitur, si vassallus debite requisitus negligat servitium debita præstare, vel si cum possit Dominum eripere à morte, carcere, inopia, conjuratione, vel alio periculo, non faciat. *L. 8. l. 9. tit. 26. p. 4.* Si quando mutatur Dominus, vel vassallus, omittat negligenter (secus ex ignorantia, impedimento, vel causa justa) intra annum, & diem: vel si Miles sit, intra annum, & mensem, renovationem investituræ petere, & fidelitatem jurare. *L. 10. tit. 26. p. 4. 3.* ex parte rei feudalis etiam amittitur feudum. Et sanè, si tota res pereat, perit totalitèr feudum, si pars tantum pereat, & pro parte tantum perit, consumpta tamen domo per incendium, licet usufructus in ea constitutus, ut jus personale finiatur, non verò finitur feudum, sed conservatur in area, quia cum sit species domini, usque ad ipsam aream penetrat.

193. Ut feudum, vel ob aperturam, vel ob feloniam amittatur, requiritur sententia condemnatoria, si causa sit dubia, vel declaratoria, si causa notoria sit: & consensus Domini directi, in cujus favorem caducitas est statuta, ac proinde huic juri potest renuntiare, vel expressè, vel tacitè exigendo, vel admittendo servitium à vassallo, postquam scit aperturam, vel feloniam. Et si tunc decedat, ejus hæredes non habent jus revocandi feudum apertum, vel commissum. Et similiter querela non mota à Domino contra vassallum delinquentem adhuc vivum, non potest contra ejus hæredes moveri, quia hæc actio est personalis, & actioni ingrati similis, non transiens contra hæredes delinquentis, nec ad læti hæredes; *arg. L. 7. c. fin. C. de Revoc. Donation.* Feudum sic amittitur, aliquando ad Dominum directum, aliquando transit ad agnatos. Licet Clericus habens feudum patrimoniale non minus, ac Laicus, si delinquat, illud amittat, si tamen feudum sit Ecclesiasticum illi competens ratione sedis, aut dignitatis Ecclesiasticæ, si delinquat, non percipit fructus, sed Domino directo adquiruntur, dum vivit Prælati delinquens, & eo mortuo, vel deposito redeunt ad successorem in Prælatiura. Et sic competenter punitur delinquens, quin Ecclesiæ damnus patriatur ob delictum Prælati: nam delictum personæ non debet esse Ecclesiæ damnosum. *c. 76. de Reg. jur. in 6.* Controversia feudi inter Dominum, & vassallum debet cognosci per Pares Curie: ab eis electis. Inter duos autem vassallos, debet cognosci per Dominum feudi, *Tom. I.*

c. 6. & 7. de Foro compet. Si veto inter vassallum, & extraneum sit controversia debet dirimi à Judice Ordinario. *L. fin. tit. 26. p. 4.* Sed hodie in nostra Hispania de omnibus hijs causis cognoscitur in Regijs Cancellarijs *Greg. Lop. in d. Leg. fin. V. Otros vassallos.* Commendæ, quas nostri Reges in Indijs concedunt Hispanis, qui has Provincias suo dominio subjecerunt, magnam affinitatem habent cum feudis, ac propterea aliquid, licet obiter, de ipsis dicam. Et sic à Solorzano definiuntur: *Commenda est quoddam ex Regia largitione beneficium novi Orbis concessum, ut tributa Indorum pro sua, & alterius hereditatis vita, juxta præscriptam formam in lege successione percipiant, cum onere easdem Indos in spiritualibus, temporalibusque juvandi, & Provincias, in quibus hoc præmio afficiantur incolendi, & defendendi, ipsique Regi, hac de causa peculiare privilegium, sive juramentum fidelitatis præstandi.* In qua definitione præcipuæ qualitates commendarum exprimuntur. *Latus de Ipsi, tot. tit. 8. c. 9. lib. 6. R. Ind. Solor. de Jur. Ind. t. 2. lib. 2. cap. 2.* Præterea in nostra Hispania Majoratus aliquam affinitatem habent cum feudis, licet propinquitatem habeant cum Fideicommissis. Majoratus ergo sic communiter definitur: est quoddam vinculum perpetuum relictum à patre, vel matre, vel ab alio extraneo, onere adjecto, quod bona titulo majoratus relicta indivisibilia, & inalienabilia sint, & ut tandem bona vinculata perveniant ad successores in infinitum; Etiam vocatur primogenium, & vinculum. Qui hæredibus necessarijs caret, potest etiam sine Regia licentia, omnium suorum bonorum majoratum facere. Qui tales habet hæredes, potest solum ex tertio, & quinto, & non ultra, majoratum constituere sine Regia licentia: & tunc licentia debet præcedere. *L. 42. Taur. l. 3. tit. 7. lib. 5. R. C.* Rex enim ob bonum commune Republicæ, & ut conserventur familiæ nobilium potest probabilis dispensare in lege concedente alijs filijs legitimam, ita tamen ut ipsis alimenta relinquatur juxta suum statum, licet portionem lege taxatam, seu legitimam non adæquent. *Greg. Lop. Solorz. Mach. & alij contra aliquos.* Et potest fundator majoratus, ipsum, etiam de Regijs licentia constitutum, revocare: nisi bona, vel scripturam coram Tabellione tradidisset vocato, vel ejus Procuratori, vel majoratus ex contractu oneroso proveniat: nam tunc non potest fundator ipsum revocare, nisi in ipsa institutione, vel Regia licen-

titia hæc facultas ipsi reservetur. *L. 44. Taur. l. 4. tit. 7. lib. 5. R. C.* Licet possessor majoratus habeat dominium directum, & utile, talium bonorum juxta plures cum *Solor. de Jur. Ind. l. 2. lib. 2. cap. 2. n. 32* non tamen potest ea alienare, vendere, donare, emphyteusim, vel usufructum concedere, Lege talem alienationem irritantem potest tamen fructuum commoditatem, etiam pro tota sua vita concedere. Si filius familias possideat majoratum; pater habet usufructum, etiam si Regia licentia sit fundatus, nisi bona à Rege sint tali filio donata, & sint quæ alii castrensia. Meliorationes factæ in caltris, muris, & adificiis majoratus, majorati ipsi accrescunt, non uxori, nec filijs cas facientis, sed integre possessori majoratus cedunt, secus dicendum est de alijs meliorationibus. *L. 46. Taur. l. 6. tit. 7. lib. 5. R. C. Torrecill. Machad. lib. 6. p. 1. & alij.* Si mptus, qui sunt in reparatione necessaria possessionum majoratus, & lire mota immediate contra bona vinculata, ex ipsis bonis debent deduci, nisi præcesserit dolus, vel culpa lata ipsius possessoris, nam tunc ipse, vel ejus hæredes in utroque foro damnari reparare tenentur, & juxta aliquos, etiam quando intervenit culpa levis, quod alij negat: ex culpa levissima certo non tenentur. Similiter non tenetur successor solvere debita contracta ab immediato antecessore, vel etiam mediato, nisi ob utilitatem majoratus, vel Republicæ fuisse contracta, secus si solum in possessoris utilitatem cesserunt. *Machad. in Sum. lib. 6. p. 1. tr. 2. & alij.* Lites, quæ super bonis vincularis emergunt, etiam in prima instantia in Regijs Cancellarijs agitantur, quippe est casus, quem dicimus de *Corte. L. 9. & 10. tit. 7. lib. 5. R. C. Hevia in Cur. Philip. p. 1. §. 9. n. 8.* Si reus sit Clericus, vel Ecclesia coram Judice Ecclesiastico lis agitur. *Hevia in Cur. Philip. p. 1. §. 5. n. 11.* ut in Indijs fundetur majoratus, debet præcedere informatio Regiæ Cancellariæ, ubi fundatur, an expediat, vel non. *L. fin. tit. 33. lib. 2. R. Ind. De Majoratibus late agunt. Greg. Lop. & Acevedo.* latius uterque *Molina*, latissime *Miers.*



T I T. XXI.

De Pignoribus, & alijs cautionibus.

194 **C**autio, quæ in securitatem contractus sapè adjicitur, vel est *simplex*, quando scilicet, nuda promissione creditor redditur securus, vel est *juratoria*, quando juramentum adjicitur, vel est *idonea*, quæ fit per idoneos fidejussores, & dicitur *satisfactoria*, vel per pignora, & *pignoratitia* dicitur, & de hac in præsentem agendum est. *Pignus*, ait *J. C. in l. 138. §. 2. ff. de V. S. appellatur à pugno, quia res que pignori dantur manu traduntur, unde etiam videri potest verum esse, quod quidam putant, pignus proprie rei mobilis constituit. L. 1. §. 13. p. 5.* Si verò res, quæ in securitatem obligatur immobilis sit, quæ quidem creditori non traditur, sed penes debitorem manet, dicitur *hypotheca*; sed pignus in genere, & hypothecam comprehendit. *L. 5. §. 1. ff. h. t. ibi: Inter pignus, & hypothecam tantum nominis promissio differt. L. 1. tit. 13. p. 5. ibi: Pæno est propriamente aquella cosa, que un ome enpeña à otro apoderandole de ella, è mayormente quando es mueble: mas segun el largo entendimiento de la ley, toda cosa quier sea mueble, è raiz, que se enpeña à otro, puede ser dicha pæno, maguer non fuisse entregado de ella aquel à quien la enpeñaassen.* Pignus ergo sumitur, vel pro re in securitatem tradita, vel pro jure, quod in re oppignorata creditor habet, vel pro contractu, quo res aliqua obligatur creditori in securitatem debiti, consistitque in voluntate debitoris rem suam in securitatem debiti tradere volentis, nec certam verborum formulam, nec scripturam requirit. *L. 1. ff. de Pignor. act. L. 6. tit. 13. p. 5.* At verò ille creditor, qui habet hypothecam publico instrumento munitam, præfertur in concursu illi, qui habet scripturam privatam, etiam si dicat, se esse priorem tempore, nisi hoc probet. *L. 11. C. Qui potior. in pignor.*

195 Pignus in genere, aliud est *voluntarium*, quod quidem creditori constituitur per voluntatem debitoris, sive per testamentum, sive per contractum. *L. 1. tit. 13. p. 5.* Aliud est *necessarium*, quod scilicet, per Magistratus imperium constituitur, & quidem, si ante sententiam latam constituitur, dum in possessionem rerum de-

debitoris, actor mittitur, dicitur *Prætorium. L. 1. & seq. C. de Prætor. pignor.* Si verò Judex ex causa judicati pignora ex bonis condemnati capiat, ut eorum distractione sententiam definitivam à se latam exequatur, dicitur *Pignus judiciale. L. 1. & per tot. C. Si in caus. judic. pign. L. 1. t. 13. p. 5. & ibid. Greg. Lop. Pignus, seu hypotheca, alia est specialis, quæ scilicet, certa, & determinata res debitoris obligatur; alia generalis, quæ omnia ejus bona obligantur, tam præsentia, & adquirenda, quam futura, & acquirenda, quamvis horum mentio non fiat, exceptis bonis, quæ obligari specialiter nequeunt, & eis, quæ debitor non esset obligaturus, si eorum fieret mentio, ob specialem affectionem, vel necessitatem. *L. 6. ff. h. t.* Ac proinde in obligatione generali non comprehenduntur levi necessarii ad quotidianum servitium domus, nec vestes debitoris, vel uxoris ejus, nec arma, nec equi, nec suppellex domus. *L. 5. tit. 13. p. 5.* Nec quæ in favorem alicujus prohibentur alienari; *arg. L. 1. l. 7. §. 5. ff. de Reb. eorum, qui sub tutel.* Nec bona, quæ defuncti hæres per se acquirit, in generali hypotheca comprehenduntur. *L. 29. ff. h. t.* Deinde: pignus, seu hypotheca est duplex: alia *expresse*, quæ scilicet verbis expressis constituitur: alia *tacita*, quæ vel hominum tacita conventionem constituitur, & dicitur *pignus conventionale*; sic in rebus, quæ in prædium urbanum inferuntur, ut ibidem quasi perpetuo sint, hypotheca constituitur Domino, non solum pro pensione, sed etiam pro rei locatæ deterioratione. *L. 2. l. 4. l. 7. ff. In quib. pignus, vel hypothec. tacit.* etiam fructus ex prædium locato nati tacite pignorati Domino ob mercedem intelliguntur. *L. 3. C. eod.* vel etiam hæc tacita hypotheca ex Legis dispositione constituitur, & sine alia expressa conventionem, vel hominis factum in favorem creditorum bona debitoris obligantur, & dicitur hypotheca *Legalis*. Hanc habent 1. Uxores in bonis mariti pro dotis securitate, & restitutione, quin & pro bonorum paraphernalium, quæ ipse administrat. *c. 5. h. t. l. un. §. 1. C. de Rei uxor. actio. l. 1. tit. 13. p. 5.* Et maritus pro dote, etiam habet hypothecam in uxoris bonis, vel ejus, qui eam promissit. *L. un. §. 1. C. de Rei uxor. l. 23. tit. 13. p. 5.* 2. Filii in bonis præsentibus, & futuris illorum, qui Regijs jura, vel tributa procurant. *L. 1. l. 2. C. In quib. caus. pign. L. 23. l. 25. tit. 13. p. 5.* 3. Mutuans pecuniam ad restitutionem navis, vel adium,*

in ipsis habet hypothecam tacitam. *L. 25. ff. de Reb. credit. l. 26. tit. 13. p. 5.* 4. Venditor in re vendita, donec ipsi ab emptore pretium solvatur. *L. 31. §. 8. ff. de Adjudic. edit. 5.* Redemptor in captivo ab hostibus redempto. *L. 12. §. 12. ff. de Captio. l. 3. tit. 13. p. 5.* 6. Pupilli, & minores in Tutorum, & Curatorum bonis, etiam matris, si hæc sit Tutrix, nisi denuo nubat, etiam in bonis vitrici. *c. 20. C. de Admin. Tutor. l. 23. tit. 13. p. 5.* 7. Ecclesia in bonis Administratores, cum minoris jure gaudeat; *arg. c. 1. & 3. de in Integr. restit. 8.* Legatarij, & Fideicommissarij in Testatoris bonis pro rebus ipsis relictiis. *L. 1. C. Comm. de Legat. l. 20. tit. 13. p. 5.* 9. Pupilli in rebus eorum pecunia emptis. *L. 7. ff. Qui potior in Pignor. L. 25. tit. 13. p. 5.*

196 Cum oppignoratio sit alienationis species, & via ad venditionem, siquidem debito non soluto, pignus, vel hypotheca distrahitur, ac consequenter alienatur: solum qui possunt alienare, possunt rem pignori dare, secus alij. *L. 11. §. fin. l. 18. §. fin. ff. de Pignor. act. L. 7. tit. 13. p. 5.* Hinc Tutor, vel Curator res minorum immobiles, vel mobiles pretiosas, quæ servando servari possunt, nequeunt sine Judicis Decreto oppignorare. *L. 22. C. de Administ. Tutor. l. 8. tit. 13. p. 5.* Maritus, nequidem uxore consentiente, potest fundum dotalem in pignus dare. *L. un. §. 15. C. de Rei uxor. act.* nisi dos in mobilibus consistat, vel in immobilibus altimatis. *L. 3. l. 5. C. de Jur. actum:* nec Procurator, nisi habeat mandatum speciale, vel generale cum libera administratione: quod si non habeat, solum potest oppignorare res Domini, si Dominus hoc solebat facere, secus aliter. *L. 11. §. fin. l. 12. ff. de Pignor. act.* Potest tamen quis, etiam absens, constituere pignus, & etiam absenti, sive per Epistolam, sive per Procuratorem specialem, potestque pignoris obligatio contrahi, sive res sit præteritis, sive non, debet tamen designari nomine, signo, vel mensura, ita ut certo cognoscatur. *L. 4. l. 23. §. 1. ff. h. t. l. 6. tit. 13. p. 3.* Prælatus Ecclesiæ non potest res immobiles, vel mobiles pretiosas Ecclesiæ sine solemnitate, secus alias, subjicere hypothecæ speciali. *c. 5. de Reb. Eccl. Eccl.* Potest tamen sine solemnitate quæcumque res in hypothecam generalem, non quidem pro utilitate propria; *arg. c. 3. h. t. l. 6. tit. 13. p. 3.* Prohibetur quidem hypotheca specialis, cum per eam propter sit periculum rem alienandi, & distra-

distrahendi. Sic contra Bonacin. & alios tenent Molin. de Juss. tr. 2. D. 466. Abbas. & alij. Debitor, qui rem in pignus dedit non potest alteri in pignus eam dare, nisi de consensu primi creditoris, etsi scienter oppignoret rem jam oppignoratam, committit stellionatum. L. 16. §. 1. ff. de Pignor. act. nisi forte res tantum valeat, ut utriusque debitum adæquet. L. 10. tit. 13. p. 5. nam tunc sine consensu creditoris potest in pignus dari. Deinde: possunt pignus accipere omnes, qui contrahere, & se obligare valent: hincque pupilli nequeunt sine Tutore pignus accipere ob metum actionis pignoratiæ. L. 3. §. 8. ff. de Pignor. action.

197 Omnes res, quæ alienari possunt, in pignus possunt dari. L. 9. §. 1. ff. b. t. L. 18. §. fin. ff. de Pign. action. mobiles, & immobiles, actiones, & jura, emphyteusis, usufructus. L. 11. §. 2. ff. b. t. debitorum nomina. L. 13. §. 2. ff. eod. L. 2. tit. 13. p. 5. Jurisdictionis temporalis (secus spiritualis, quæ extra hominum commercium est.) Feudum, non tamen sine Domini directi consensu, servitutes item rusticæ possunt pro debito oppignorari. L. 12. ff. b. t. secus servitutes urbanæ, quæ non per se, sed solum accessorie, si prædium urbanum oppignoretur, oppignorate ipsæ consentunt. L. 11. §. fin. ff. b. t. Si res uni oppignorata alteri oppignoretur, crimen stellionatus committitur, nisi creditor ab oppignorante de priori pignore monetur. L. 15. §. 2. ff. b. t. l. 36. §. 1. ff. de Pignor. action. & licet oppignoratio non sit strictè alienatio, est dispositio ad ipsam: & hinc res prohibet alienari, non possunt dari in pignus. L. 4. §. 2. ff. Quæ res pignor. L. 3. tit. 13. p. 5. ut beneficia, & pensiones Ecclesiasticæ, utpotè in Jure spirituali fundata, nec res sacre vel benedictæ, ut Calices, & Ecclesiarum cætera suppellex, nisi in casu urgentis necessitatis: nam tunc, & Laico possunt in pignus tradi. Nec item res communes, & publicæ, ut viæ, & præterea, nec res litigiosæ, nec res aliena, nisi quis in ea aliquod jus habeat, vel Dominus consentiat, vel ratum habeat, & rati habitio ad tempus oppignorationis retrahitur, non tamen in tertij prejudicium. L. 9. tit. 13. p. 5. vel etiam si quis speret dominium illius rei acquirere. L. 7. tit. 13. p. 5. Creditor potest rem, quam in pignus accepit, alteri dare in pignus. L. 1. C. Si pign. pignor. dat. L. 35. tit. 13. p. 5. dum non det pro majori quantitate, quam accepta. Nec homo liber potest oppignorari. c. 2. b. t. Et eum recipiens amittit

credendum, & debet reddere tantumdem ei, vel ejus consanguineis, si ipse mortuus est. L. 3. tit. 13. p. 5. At vero homo liber bene potest dari obres pro pace, vel treuga, vel securitate, Hispanè: *Quædam en rebenes*, imò potest etiam in pignus dari homo liber, quando ejus pater in extrema necessitate est constitutus: nam tunc potest vendi, & oppignorari. Ille autem, qui erat apud hostes captivus, manet tamquam pignus in potestate illius, qui ipsum redemit. L. 3. tit. 13. p. 5. Animalia ad arandum, servi, & instrumenta necessaria, ad colendo agros non possunt in pignus capi. L. 4. tit. 13. p. 5.

198 Debitor tenetur loco, & tempore statuto creditori tradere pignus, quod promissit, nec traditum potest repetere donec creditori satisfaciatur, imò & solvere debet impensas à creditore in pignoris conservatione factas. L. 8. l. 25. ff. de Pignor. action. L. 15. tit. 13. p. 5. soluto debito competit debitori actio personalis pignorantia directæ contra creditorem, vel illius hæredes, ut pignus integrum, simul cum fructibus restituat, & damnum, si quod est factum, restituat, etsi creditoris culpa pignus perijt, debet restituere excessum valoris pignoris ultra debitum. L. 11. l. fin. C. de Pignor. act. l. 36. tit. 13. p. 5. Creditor, si totum debitum ipsi solvatur, tenetur illud accipere, & vicissim pignus illico restituere. L. 11. C. de Pignor. action. cum fructibus perceptis, & qui percipi poterunt. L. 3. C. de Pign. action. Et cum meliorationibus, & accessionibus, & incrementis. L. 16. l. 21. §. 2. ff. b. t. L. 2. tit. 13. p. 5. potest tamen creditor retinere pignus, si tantum pars debiti ipsi solvatur: nam ut jus individuum pro toto debito est obligatum. L. 19. ff. b. t. Similiter illud retinere potest pro expensis in conservatione pignoris factis, & pro uturis, si in sortem, & usuras simul obligatum est. L. 11. §. 3. ff. de Pignor. action. Imò & pro alio quocunque debito, etiam ante pignus contracto, & pro quo pignus non est constitutum. L. un. C. Etiam ob Chirog. L. 22. tit. 13. p. 5. Si pignus, quod habet Cajus creditor Sempronij, ipse Cajus det Sejo in pignus, & Sempronius solvat debitum Cajo, hic tenetur rem restituere Sempronio, & pignus finitè restituet utriusque creditoris: & hinc Cajus tenetur novum pignus constituere Sejo. L. 31. ff. b. t. L. 35. tit. 13. p. 5. Præterea, creditor tenetur pignus fideliter custodire, nec potest pignore uti, sine debitoris consentia, saltem tacito: alias fur-

tum

tum committit. L. 54. ff. de Furtis. Si creditoris dolo, vel culpa, etiam levi, pignus deterioretur, debet damnum rearticre ipse creditor: nam hic contractus in utriusque gratiam cedit. Si verò deterioretur sine ejus culpa, sed casu tantum, non tenetur creditor, si casu rem perijt probeat. Quippe res suo Domino perit, & tenetur debitor solvere debitum creditori. Si tamen debitor probeat, casum evenisse culpa creditoris, tenetur creditor satisfacere debitori, & ipse debitum solvere creditori. L. 20. tit. 13. p. 5.

199 Creditor competit actio personalis pignorantia contraria adversus debitorem, ut ille solvat creditori sumptus in pignore factos. L. 8. ff. de Pign. action. Vel si debitor pignori dedit rem alienam, vel alteri jam oppignoratam, vel donatam. L. 9. ff. de Pign. act. Vel si pignus venditum à creditore sit emptori evictum. L. 3. §. ff. de Eviction. Datur enim hæc actio contra debitorem, ut pignus restituat, si ejus possessionem debitor impetruit ab ipso creditore ex precario, vel conducto. L. 3. l. 22. §. 3. ff. de Pignor. action. Item creditor competit actio hypothecaria, vel quasi serviana, vel serviana utilis, qua contra singulos debitoris hæredes infolidum, (in quo differt à pignorantia) prosequitur res sibi expressè, vel tacite obligatas, dummodo tempore contractus in bonis debitoris fuissent. Quando quis prædium rusticum locat, habet actionem servianam, qua petit à quocunque possessore res coloni invecas in fundum, & expressè oppignoratas pro mercede locationis, & deterioratione fundi. Creditor licet non dominium, possessionem tamen pignoris habet, illudque à quovis alio possessore vindicare valet. L. 17. ff. b. t. donec ipsi pro debito satisfiat, sublataque sit obligatio. L. 65. ff. de Evict. l. 18. tit. 13. p. 5. Quod si ille tertius possessor velit solvere creditori debitum, tenetur hic illud accipere, & actionem tam personalem, quam hypothecariam cedere illi tertio. L. 19. ff. Qui potiores. l. 18. tit. 13. p. 5. & ibid. Greg. Lop. Si Dominus vendat rem oppignoratam, vel mandato Judicis distrahatur, in emptorem simul cum dominio obligatio pignoris transit. c. 5. b. t. l. 12. C. de Distr. pign. Et potest creditor ab emptore rem oppignoratam vindicare, nisi eius consentu res oppignorata alienata fuit. L. 8. §. 6. ff. Quib. mod. Vel si filia debitoris in dotem data. L. 11. ff. eod. Nam tunc remississe censetur jus pignoris. Si aliquid rei in pig-

nus data accedat. V. g. alluvione, vel aliter sit meliorata à creditore in omnibus manet radicatum pignus, licet tales accessiones Domino rei adquirantur. L. 16. l. 11. §. 2. ff. b. t. l. 21. tit. 13. p. 5. sed non aliter cogitur creditor rem restituere, nisi etiam ipsi solvantur sumptus, quos in melioratione fecit. L. 15. tit. 13. p. 5.

200 Si creditor cum debitore convenit de pignore vendendo, illud vendere debet tempore, & modo convento. L. 4. ff. de Pignor. action. l. 41. tit. 13. p. 5. Si nihil conventum est, semel denuntiatione debitori facta, biennium creditor expectat, & eo elapso, si debitor non solvit, pignus potest vendere. L. fin. §. 3. C. de Jur. dom. impetr. Si pactum de non distrahendo intervenit, trina denuntiatione per intervalla arbitraria precedere debet. L. 5. ff. de Pign. action. l. 42. tit. 13. p. 5. Si creditor vendat ex conventionem rem oppignoratam pro debiti solutione, si postea evincatur, non tenetur creditor de evictione, sed debitor, nisi forte creditor ad evictionem se obligavit, vel scienter rem alienam in pignus recepit, vel rem vendidit, tamquam suam, non tamquam oppignoratam. L. fin. tit. 13. p. 5. Fructus, quos debitor feminavit, vel apud eum nati sunt, ad quemcumque, & quocunque titulo res transeat, remanent sicut res ipsa pignori obligati, si tamen à creditore seminentur, vel apud ipsum nascantur, non remanent obligati. L. 16. tit. 13. p. 5. Imò si creditor ex re oppignorata fructus percipiat, eos debet, vel eorum pretium, si ipsos vendidit, in sortem principalem computare, ita ut debiti quantitas minuatur secundum fructuum perceptorum estimationem, & si hæc debitum adæquet, debitum extinguatur omnino. Quidquid enim ultra sortem accipitur ultra est, ac proinde non valet *Ante brisist*, seu pactum, ut creditor fructus percipiat donec debitum solvatur, quin eos computare teneatur in sortem principalem. c. 1. c. 2. de Usur. e. 4. c. 6. b. t. l. 2. tit. 13. p. 5. licet hoc videatur in Jure Civili permittum. L. 1. §. 3. l. 11. §. 1. ff. b. t. Aliquando tamen non computantur fructus in sortem principalem. 1. Enim si vasallus det Domino directo in pignus prædium feudale, Dominus percipit fructus, & eos non computat in sortem principalem: quia cum vasallus tunc non præter obsequia, non debet fructus percipere. c. 1. de Feud. c. 8. de Usur. 2. Si creditor tales fructus percipiat pro damno emergente, vel lucro cessante, vel pro expensis,

sis, vel pro labore, profectio eos non debet computare. c. 1. de Usur. c. 7. de Jur. jur. l. 8. l. 25. ff. de Pignor. actio. 3. Maritus, cui pro dote sunt aliqua possessiones obligate, earum fructus percipit, nec in dorem nondum sibi traditam computat, cum frequenter ad onera matrimonij sustinenda fructus doris non sufficiant. c. 16. de Usur. 4. Clericus, cui suum beneficium est obligatum a Laico, illud injuste possidente, percipit fructus, & non computat. c. 1. de Usur. quia per occultam compensationem redimit, quod ad ipsum legitime spectat.

201 Pactum *Legis Commissoriae*, quando, scilicet, inter creditorem, & debitorem convenit, ut si intra tempus statutum debitor non solvat, pignus committatur, & dominium adquiratur creditori, si pignori adjiciatur, etiam ex intervallo, ut contra Bart. & Abb. tenent Covar. lib. 3. Var. cap. 2. n. 8. & alij. Saltem Jure Positivo est irritum ipso jure, nec ex eo aliqua resultat obligatio. c. 7. h. t. l. fin. C. de Pact. pignori. l. 12. tit. 13. p. 5. Nec juramento firmatur, nam licet juramentum sit servandum, cum servari possit, sine dispendio salutis aeternae, nullum tamen jus tribuit creditori; arg. c. 1. c. 6. de Jur. jur. Imò, si debitor jure impeditus non solvat tempore statuto, potest etiam juramento non relaxato, postea oblato pretio debiti pignus redimere: cum juramentum non credatur factum in casum inculpabilis morae. c. 7. h. t. Nec hujusmodi pactum valet, si debitor renuntiet Legi tale pactum prohibenti, quia haec Lex non tam est introducta in favorem debitorum, quam in poenam creditorum, & publicae utilitatis causa, ut tollatur ulurae periculum, cum plerumque pignora quantitatem creditae pecuniae suo valore multum excedant, & ut ita feneratorum coerceretur avaritia: cum debitores facile in talia pacta consentiant fiducia faciendi in tempore solutionem. Aliud est in venditione, in qua tale pactum admittitur: cum enim res justo pretio solvantur vendi, non patitur emptor damnari, aut injuriam, si pretio non numerato ad tempus praefixum solutioni, res habeatur pro inempta. Hinc valere pactum ajunt, ut si debitum non sit solum intra tempus, pignus sit emptum, aut datum in solum creditori justo pretio, seu arbitrio boni viri, vel Judicis taxando. Imò si pacificentes solum dicant, quod pignus sit venditum, si solutio debiti non fiat tempore praefixo, sub intelligitur, quod sit venditum justo pre-

tio; arg. l. fin. ff. de Contrab. empt. l. 16. S. ff. ff. h. t. l. 12. tit. 13. p. 5.

202 Pignoris obligatio varijs modis finitur. 1. Interitu totius rei. L. 8. ff. Quib. mod. pign. Si res deterioretur adhuc in ea manet pignus. L. 15. tit. 13. p. 5. 2. Si debitum totaliter sit solum, vel aliter satisfactum. L. 11. C. de Pignor. act. l. 38. tit. 13. p. 5. Si non est totaliter solum debitum, sed tantum pars, adhuc remanet obligatio pignoris, potestque pro solutione vendi. L. 43. tit. 13. p. 5. 3. Si debitor per sententiam Judicis, licet injustam, absolvatur. L. 13. ff. Quib. mod. pignori. 4. Si creditor debitori debitum remiserit, saltem tacite, & reddendo singrapham. L. 17. §. 2. ff. de Pact. l. 7. C. de Remis. pign. Vel si pignus restituit debitori, quando non contat, quod ad alium finem restituit. Si creditor remittit debitum, etiam jus pignoris remittit. censeatur: non verò contra, nam etiam jus pignoris remittat non censetur debitum remissile. L. 40. tit. 13. p. 5. Si tempus, ad quod fuit pignus constitutum, sit elapsum. L. 6. ff. Quib. mod. 6. Si creditor recuset recipere debitum, a debitore oblatum, & hic pecuniam obligaverit, & solemniter deposuerit. L. 11. C. de Pignor. act. l. 38. tit. 13. p. 5. 7. Si creditor consentiat alienationi pignoris a debitore factae: nam obligationem pignoris censetur remissile. L. 4. §. 1. ff. Quib. mod. pignori. Pignus non potest a creditore praescribi, ex defectu tituli, bonae fidei, & possessionis. Si verò ab ipso debitore, vel ejus haerede possideatur, quia forte non tradidit debitor pignus, extinguitur pignus 40. annis, nec postea potest pignus peti. L. 7. §. 1. C. de Praescript. 30. vel 40. ann. l. 39. tit. 13. p. 5. Si extraneus illud possideat, cum justo titulo 10. annis inter praesentes, & 20. inter absentes, & sine titulo 30. annis praescribit. L. 7. C. de Praescript. 30. vel 40. sive res sit mobilis, sive immobilis, cum in his Legibus nulla fiat distinctio. L. 39. tit. 13. p. 5. Actio directa pignoris a creditore contra debitorem praescribitur 30. annis, si hoc tempore pignus non luat, solutione debiti oblata, ac proinde hoc tempore elapso, non potest debitor pignoratitiam actionem contra creditorem movere. L. 3. C. de Praescript. 30. vel 40.

TIT. XXII.

De Fidejussoribus.

203 Fidejussio sic dicta est a fide, & jussio: quia fidejubs, alterum de sua fide securum esse jubet. L. 75. §. 6. ff. de V. O. Etiam intercessio appellatur, etque contractus, in quo quis promittit, se soluturum, quod alius, ut debitor principalis debet, si ipse non solvat. L. 1. tit. 12. p. 5. ibi: Fiador tanto quiere decir, como omne, que dà su fe, è promete à otro de dàr, è de hacer alguna cosa por mandado, è por ruego de aquel, que le mete en la fiadura. Qui promittit, & in se alienam obligationem suscipit, dicitur fidejussor, sponsor, & adpromissor: quia pro alio promittit, & in hoc differt à Correo debendi: nam hic principaliter, & pro se promittit. Et etiam differt à mandatore: nam mandator suo nomine obligatur, & obligationem principalem praecedat: fidejussor regulariter sequitur obligationem principalem. Etiam differt à Constitutore. Nam hic non necessario se obligat pro alio, sicut fidejussor, sed potest quis constitutur, quod alter, vel etiam ipsemet debet. Etiam differt ab expromissore: nam hic ita in se accipit alienam obligationem, ut principalem reum liberet, & fit novatio obligationis: fidejussor verò remanet obligatus simul cum principali. L. 1. tit. 12. p. 5. Fidejussio Jure Civili erat stipulationis species, certam verborum formam requirens. L. 8. ff. h. t. l. 12. C. eod. l. 6. tit. 12. p. 5. Et in hoc differt à mandato: nam mandatum nudo consensu, & inter absentes constituitur. At vero Jure Canonico. c. 1. de Pact. & Hispano. L. 2. tit. 16. lib. 5. R. C. neutiquam est necessaria stipulatio ad fidejussionem, sed quocumque modo potest fieri. Et ita tenet Greg. Lop. in l. 6. tit. 12. p. 5. V. Diciendole. Fidejussio ergo alia est judicialis, & proprie satisfactio appellatur, quia, scilicet, in judicio quis constituitur fidejussor. Et quidem, si fidejussor caveat de judicio sstii, vas dicitur, Hispanè: Fiador de la baz, qui solum se obligat reum, vel carceri restituere, vel Judici praesentare. Si caveat de solvendo judicato, Praes dicitur, Hispano: De juzgado, y sentenciado. Alia est extrajudicialis, quae scilicet extra judicium, & praecipue in contractibus adhibetur: quod si à Lege, vel imperio Magistratus inducatur, dicitur necessaria. L. 13. ff. de

Usufruct. Si absque hac necessitate fiat, voluntaria erit. Si pro debito solvendo simpliciter fidejussor se obligat, est fidejussio simplex. Si in residuum se obligat, hoc est, in casum, quo creditor integrum debitum consequi non possit, fidejussio inaequata dicitur, Hispanè: De sacar à paz, y à salvo. Rursum fidejussio, alia est principalis, quando fidejussor pro principali debitore se obligat: alia succedanea, quando pro fidejussore fidejuberet. L. 8. §. fin. ff. h. t. Ita ut sit fidejussor fidejussoris, imò aliquando, ita quis fidejuberet, ut principaliter in se obligationem principalis debitoris suscipiat, ita ut ex fidejussore fiat debitor principalis, & dicitur obligari insolidum, Hispanè: De m. no. m. Et tunc est in electione creditoris etiam ab ipso fidejussore, non interpellato debitore, petere debitum. Si fidejussor faciliè possit conveniri, & tantas habeat facultates, ut creditori servari valeat in demnis, est fidejussio idonea; inidonea tamen, si fidejussor difficile valeat conveniri, vel quia rixosus est, vel quia non habet sufficientes facultates pro debito solvendo. Ideo in nostra Hispania requiritur, quod fidejussores sint. Legos, llanos, y abonados. L. 8. tit. 10. lib. 9. R. C. l. 42. tit. 20. lib. 8. R. Ind. In via executiva debet dare fidejussorem evictionis, Hispanè: De saneamiento. L. 19. tit. 21. lib. 4. R. C. Et illud, Acrued. ex n. 53.

204 Fidejussores accipere possunt omnes illi, qui possunt promissionis, seu stipulationis acceptare. L. 1. tit. 12. p. 5. Similiter fidejuberere possunt, quicumque se obligare possunt, nisi specialiter prohibeantur. L. 1. tit. 12. p. 5. Prohibentur 1. furiosi, & infantes. 2. Pupilli sine Tutoris auctoritate. Servi, nisi fidejubeant jussu Domini, vel ex re peculiari. L. 19. l. 20. ff. h. t. l. 2. tit. 12. p. 5. Minor Curatorem habens, sine ejus auctoritate nequit fidejuberere. Si Curator caret, fidejubendo obligatur, sed si laedatur, restituitur, imò etiam cum auctoritate Curatoris fidejubeat, restituitur in integrum, si laedatur. Molin. de Just. tr. 2. D. 540. n. 25. Gom. 2. Var. cap. 13. n. 19. 3. Religiosus sine consensu Praelati, & majoris partis Capituli in Religionibus, in quibus proceditur capitulariter; in alijs autem requiritur Superioris licentia. c. 4. h. t. c. 2. de Solut. l. 2. tit. 12. p. 5. Aliter fidejussio est nulla, nec tenetur Religiosus, nec Monasterium, nisi in quantum utilitatem percepit. Molin. de Just. tr. 2. D. 540.

n. 23. & alij. 4. Clericis prohibetur abusus, sui nemini in frequentia fideiubendi, præsertim pro Laicis. c. 1. h. t. l. 2. tit. 12. p. 5. Cum non debeant se negotijs secularibus implicare. Si tamen fideiubeant, licet illicita, erit tamen valida fideiussio. L. 45. tit. 6. p. 1. ibi: *Pero si entrassen en alguna de estas fianzarias, que les son defendidas, valdrá la fianzaria*: quia multa probentur, quæ tamen facta tenent. c. 16. de Regul. Et de patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus satisfacere tenentur: & his deficientibus, cæditibus perceptis beneficij; sed ita ut ipsi non egeant. c. 2. h. t. l. 45. tit. 6. p. 1. in uno, vel altero casu, præsertim, causa petatis licite fideiubent Clerici. Gonz. in c. 1. h. t. n. 4. & alij. 5. Miles, qui est in expeditione, & castris, nequit fideiubere, nisi in rem suam fideiubeat, ne ipsum à militia avocet negotiorum forensum occupatio. L. 15. C. de Re Milit. l. 2. tit. 12. p. 5. ibi: *Non pueden ser fiadores por otro los Cavalleros de la mesnada del Rey*. Prælati, & Episcopi, licet ex justa causa, & non in magna quantitate possint redditis suæ mentis fideiubere, cum hoc ad liberam administrationem pertineat, non tamen potest aliter fideiubere. c. 19. 11. q. 1. Et tunc cum nomine proprio fideiubeat, ipse solus obligatur. Si nomine Capituli, ejusque consentu requisito fideiubeat, Ecclesia, vel Monasterium obligatur; arg. c. 4. h. t. Sed si damnum sequatur, restituitur. c. 1. e. 3. de in Integr. restit. Si consensum Capituli non requisiverit, non tenetur Ecclesia ex tali fideiussione.

205. 7. Mulier, non solum pro marito, sed etiam pro quolibet alio, ob suam imbecillitatem fideiubere prohibetur ex S. C. Vellejano, tot. tit. ff. & C. ad S. C. Vellej. l. 14. tit. 12. p. 5. Adeo ut possit repetere solum ex fideiussione facta, & creditor, etiam ante repetitionem, & sententiam restituere tenetur solum cum non fiat Dominus ejus. L. 16. §. 1. ff. ad S. C. Vellejan. Mulier tamen ex fideiussione obligatur, si fideiussit pro pecunia Domino promissa, ut servus libertatem consequatur. L. 24. C. ad S. C. Vellejan. l. 3. tit. 12. p. 5. & ibid. Greg. Lop. ubi addit, idem esse dicendum, si mulier pro alia pia causa intercedat, cum valeat argumentum de libertate ad piam causam, & e contra. Vel si pro fideiussione accepit pretium periculo fideiussionis æquivalens. L. 23. C. eod. l. 3. tit. 12. p. 5. Vel si biennio post fideiussionem elapso, eam renovet. L. 22. C. eod. l. 3. tit. 12. p. 5. Vel si

fideiubeat pro dote alterius mulieris. L. fin. C. ad S. C. Vellejan. l. 3. tit. 12. p. 5. Vel si fideiussio in illius redundet utilitatem, v. g. si fideiubeat pro eo, qui in quantitate æquali est illius fideiussor: vel pro creditore, cui ipsa tantumdem debet: vel pro debitis defuncti, cujus hereditatem ipsa emittit. L. 13. l. 22. l. 24. ff. ad S. C. Vellej. l. 3. tit. 12. p. 5. Vel si apud creditorem minorem 25. annis intercessit. L. 12. ff. de Minor. & ibid. Gothofr. Vel si ex dolo creditorem velit decipere. V. g. si esset in habitu viri, ita ut creditor judicaret, eam esse virum. L. 5. C. ad S. C. Vellej. ibi: *Non succurretur Senatus Consulto, quo infirmitati, non calliditati mulierum consultum est*. L. 3. tit. 12. p. 5. Vel si fideiussit coram publico Magistrate, vel si fideiussio juramento est firmata; arg. c. 28. de Jur. iur. vel publico instrumento, tribus testibus adhibitis, roborata. L. 23. §. fin. C. ad S. C. Vellej. Vel si renuntiet, etiam simplici renuntiatione, huic beneficio principaliter in mulierum commodum introducto, cum sciat se tali privilegio juyari, ut contra Vinium, Select. qq. l. 1. cap. 48. & alios tenent Perez in Cod. ad Tit. ad S. C. Vellej. n. 33. & alij. Ex l. 2. §. 2. & l. fin. §. 4. ff. ad S. C. Vellejan. & ibid. Gothofred. Nec enim tam faciles sunt ad renuntiandum suis privilegijs, sicut ad fideiubendum, sed majori reflexione illud faciunt. Et expressè habetur in L. 3. tit. 12. p. 5. ibi: *Renunciando de su grado, è deamparando el derecho, que la Ley les otorgó a las mugeres en esta razon*. Vel si consentiat expresse, vel tacite, ut ejus bona à marito, tanquam propria obligentur, ignorante creditore, ea bona mulieris esse. L. 5. C. ad S. C. Vellejan. Quod si mulier velit pro marito fideiubere; non potest hoc facere, nequidem renuntiando S. C. Vellejano. L. 9. tit. 3. libi 5. R. C. Greg. Lop. in l. 3. tit. 12. p. 5. V. Renunciando.

206. Fideiussoris obligatio est accessoria obligationi principali, quam supponit. §. 5. Inst. b. t. Hinc, si principalis obligatio invalida sit, etiam fideiussio est invalida. L. 16. ff. b. t. V. g. si quis in promissione usurarum, vel rei temporalis pro spirituali fideiubeat, fideiussio erit irrita, cum promissiones, quibus accedit à jure reprobandur; arg. L. 178. ff. de Reg. iur. c. 46. eod. in 6. Quod si quis pro alio se constituat debitorem principalem, non erit fideiussor, cum non accessorie obligetur. Fideiussor potest se obligare in eandem summam, vel minorem, quam debet,

prin-

principalis, non tamen in majorem, quia cum sit accessoria, non plus in ea, quam in principali potest esse. §. 5. Inst. b. t. l. 8. §. 7. ff. eod. Et si in plus obligetur, erit fideiussio nulla, non in totum, ut censet Fachin. l. 8. Controv. cap. 51. sed solum quoad excessum, quia in majori minor quantitas continetur, ut tenent Gloss. in L. 8. §. 7. ff. b. t. Gom. 2. Var. cap. 13. n. 2. Molin. de Just. & Jur. tr. 2. D. 541. n. 3. Et expressè habetur in L. 7. tit. 12. p. 5. ibi: *Por mas de quanto es el deudor principal obligado, non se puede obligar el fiador; è si lo ficieren, non vale la fianzura, quanto en aqueilo que es demas*. Potest tamen obligari ad plus intentivè, seu efficacius; licet obligatio principalis sit naturalis tantum: v. g. si quis pro pupillo, sine Tutoris autoritate contrahente, fideiubeat, ex fideiussione civiliter, & efficaciter obligatur. L. 16. §. 3. ff. b. t. l. 5. tit. 12. p. 5. Cuiusque obligationi, sive oriatur ex contractu, vel quasi contractu, ex delicto, vel quasi delicto, potest fideiussor adhiberi, sive civiliter, sive criminaliter agatur, excepta tamen poena sanguinis, vel alia corporali. L. 56. §. fin. l. 70. §. fin. ff. b. t. Quia nemo est Dominus membrorum suorum. L. 13. ff. ad Leg. Aquil. Pro dote conservanda, aut restituenda, matrimonio constante, non possunt à marito exigi, nec dari fideiussores, ne causa perfidia generetur in connubio. L. 1. & 2. C. Ne fideiussor. dot. dentur. Nec plus debet uxor ideæ alienæ, scilicet, fideiussoris, tribuere, quam mariti; si non uxor, sed alius promittat dotem, cum cesset hæc ratio, fideiussorem petere potest à marito. Molin. de Just. & Jur. tr. 2. D. 425. n. 2. Etiam obligationi futuræ adhiberi potest fideiussio, quæ est conditionalis, si ponatur obligatio; quod si deficiat ipsa fideiussio evanescet: potest etiam sub conditione, vel ad tempus fieri fideiussio. L. 6. tit. 12. p. 5. Si fideiussor in totam causam fideiussit, tenetur etiam ad usuras, & ad incrementum debiti ex mora. L. 68. §. 1. ff. b. t. Si solum fideiussit pro debito, quantum ab initio fuit, in id tantum obligatur, nec actus agentium ultra agentium intentionem operari valent. L. 19. ff. de Rebus credit.

207. Licet olim creditor posset etiam ante debitorem principalem convenire fideiussorem. L. 2. l. 5. C. b. t. Tamen in Authent. Prasente, C. b. t. fuit introductum à Justin. beneficium Ordinis, seu Excusationis, ita ut si prius fideiussor, quam debitor principalis conveniatur, hæc ex-

Tom. I.

ceptionem possit opponere, ut prius bona principalis exequantur. L. 9. tit. 12. p. 5. Potest tamen fideiussor conveniri prius, quam principalis, si notorie non habeat unde solvat principalis, vel si fideiussor huic beneficio, pro ipso introducto, renuntiet, vel si principalis, non nisi diffcultè possit conveniri, quia abest longè à Provincia, vel later, vel potens, vel rixosus est, vel si pater pro filio, vel alius fideiussit pro eo, qui solum naturaliter potuit obligari: cum enim tunc adversus principalem actio non competat, non est locus excusationi. Vel si fideiussor neget, se fideiussisse, & mendacim convincatur. Si quando sunt plures fideiussores, singuli pro parte debiti se obligarunt, tantum ad eam partem tenentur: si singuli insolidum, quilibet potest conveniri, possunt tamen opponere beneficium divisionis ex Epist. D. Adriani, non ipso jure competens, sed per viam exceptionis, ut scilicet cæteri confideiussores pro virili portione concurrant ad solvendum. §. 4. Inst. b. t. l. 16. ff. eod. Si aliquis fideiussor tempore divisionis non sit solvendo, reliqui ad totum debitum solvendum obligantur; imò etiam unus, qui solvendo est. §. 4. Inst. b. t. Si verò post divisionem legitime factam inter fideiussores aliqui fiant non solvendo, non obest alijs confideiussoribus, sed creditori, quia ipsi postquam semel sunt liberati, non possunt reduci in invitum pristina obligationem. L. 5. §. Cum inter, ff. b. t. l. 16. C. eod. Non gaudet hoc beneficio divisionis fideiussores. I. si ipsi beneficio, pro ipso introducto, renuntiet, vel expressè; arg. L. 29. C. de Pact. vel tacite, scilicet, non opponendo hæc exceptionem, saltem antequam sententia executioni mandetur: nam tunc, qui solvit non potest à creditore petere partem solutam tanquam indebitam, nec ab alijs confideiussoribus. §. 4. Inst. b. t. Si cæteri fideiussores solvendo non sint, qui solvendo est, totum solvere debet. §. 4. Inst. b. t. 3. Quando simul cum muliere aliquis fideiussit; nam scire potuit, aut ignorare non debuit, mulierem frustra intercedere. L. 48. ff. b. t. 4. Fideiussores, rem pupilli salvam fore, non habent beneficium divisionis. L. fin. ff. Rem pupill. Et ibid. Gothofred. 5. Si falso negent fideiussisse: nam insipientibus, auxilium divisionis non est indulgendum. L. 10. §. 1. ff. b. t. In nostra Hispania, quando plures fideiussores insolidum se obligant, potest creditor à quocumque totum debitum petere, & ubi solvente, cæteri liberantur, & tunc

Tit 2

non

non possunt beneficium divisionis oppo-
nere, si verò non insolvidum, sed simpli-
citer se obligarunt, & omnes sunt sol-
vendo, non potest creditor petere à quo-
libet, nisi partem ipsi correspondentem,
& si unus non sit solvendo, alij tenentur
etiam pro illius parte, & in hoc casu apud
nos non est necessaria Epistola D. Adriani.
L. 8. tit. 12. p. 5. & ibid. Greg. Lopez,
V. Toda la debda. Et V. Cada uno.

208 Si nullo ex his remedijs usus est
fidejussor habet beneficium *cedendarum*
actionum, vi cuius non solum excipere
contra creditorem potentem debitum, sed
ab ipso creditore potest petere, ut ipsi
cedat actiones, quas habet adversus debi-
torem principalem, & alios fidejussores,
& possessores pignorum. §. 6. *Inst. b. t.*
l. 15. l. 17. ff. eod. l. 11. l. 21. C. eod. l. 11.
tit. 12. p. 5. Si aliquis ex fidejussoribus soli-
dum solvit, & ipsi actiones non sunt cessæ
à creditore nullam habet actionem adver-
sus confidejussores. L. 34. ff. b. t. l. 11. C.
eod. l. 11. tit. 12. p. 5. Imò neque contra
debitorem principalem, si ipso prohiben-
te solvit. L. 41. ff. Mand. Si verò solvit
pro principali debitore, ipso presen-
te, & mandante, vel sciente, competit
fidejussori contra debitorem actio manda-
ti. §. 6. *Inst. b. t. junct. l. 6. §. 2. ff.*
Mandat. l. 12. tit. 12. p. 5. Si solvit, ipso
debitore absente, & ignorante competit
fidejussori adversus eum actio negotio-
rum gestorum. L. 4. ff. de Negot. gest. Si
pro alio absente, mandato Tertij: v. g. fi-
dejussi, tenetur mihi mandator, & non
debitor ad ea, quæ solvi, nisi in debitoris
utilitatem fidejussio convertatur, quia
tunc, & quando debitor erat presens, &
non contradixit, est in mea electione age-
re contra ipsum, vel contra mandantem.
L. 13. tit. 12. p. 5. Fidejussor regulariter
ante solutionem non potest à creditore
debiti solutionem impetrare. L. 14. tit. 12.
p. 5. Potest tamen ante solutionem petere
liberationem, si fidejussor sit condemna-
tus debitori principali; quia perinde est,
ac si solvisset, cum adversus fidejussorem
sit parata executio: vel si debitor ad inopi-
am vergat, vel si diù, & culpabiliter
solvere differat. c. fin. b. t. l. 38. §. 1. ff.
Mandat. l. 14. tit. 12. p. 5. Vel si fidejussor
ex gravi causa: v. g. studiorum, vel
negotiationis peregrè sit profecturus, &
diù non rediturus: vel si pactum cum debi-
tore fecit fidejussor, ut post certum
tempus, eum à fidejussione liberet. L. 10.
§. fin. ff. Mandat. l. 14. tit. 12. p. 5. Vel
si capitales inimicitia: suboriantur inter fidejussorem, & debitorem; arg. L. 8. §. fin. ff. de Procurat. Et quidem hujus culpa, scilicet si culpa fidejussoris, ne in ejus manu sit, se ab obligatione liberare.

209 Hæredes fidejussoris tenentur, si-
cut ipse fidejussor, & eandem exceptio-
nes habent, ac ipse fidejussor, ac proinde
fidejussio non finitur morte. L. 24. C.
b. t. l. 16. tit. 12. p. 5. Finitur tamen fi-
dejussio debitore principali solvente debi-
tum, nisi evincatur id, quod dedit in
solutum. Vel si creditor fidejussori obli-
gationem remittat, vel à creditore lega-
tur liberatio. L. 49. ff. b. t. Vel si obli-
gatio antecedens innovetur, & in eam non
consensit fidejussor. L. 4. c. b. t. Vel si
fidejussor sit hæres debitoris, vel debitor
hæres fidejussoris; quia nemo potest apud
eamdem pro se ipso esse obligatus. L. 21.
§. 3. ff. b. t. Vel si creditor tempus pro-
roget debitori. Ideò si quis pro officiali,
cujus officium per unum annum durat fi-
dejussit, & anno expleto, officium pro-
rogatum est inconsulto fidejussore; hic
tantum tenetur pro periculo prioris anni,
pro quo fidejussit, non verò pro tempore
prorogato. L. 27. §. 1. ff. de Pact. Gonz.
in c. fin. b. t. n. fin. Si quis sub pœna fi-
dejussit, reum criminis *Judicio sibi* ad cer-
tum diem, si reum ad illum diem non po-
tuit invenire, illi conceditur tantum tem-
poris, quantum continebatur in primo
termino, si non excedebat sex menses, &
si secundo termino elapso, reum non sitat
in judicio, solvet fidejussor pœnam promissam,
quod si primus terminus sex menses
excedat, in secundo termino solum sex
menses conceduntur. L. 26. C. b. t. l. 17. tit.
12. p. 5. Potest tamen fidejussor primo ter-
mino elapso, reum defendere in judicio, &
debet concludere judicium semel excep-
tum; & si reus sine culpa inveniatur, ab-
solvitur fidejussor; alias solvet pœnam pro-
missam, & interesse. Sed si reus ad aliquid
dandum, vel faciendum tenebatur, illud
solvendo, liberatur à pœna fidejussor. L. 26.
C. b. t. l. 18. tit. 12. p. 5. Si reus in pri-
mo termino moriatur, non tenetur fidejussor
ad pœnam promissam, tenetur tamen,
si post terminum primum moriatur,
nam jam pœna erat commissa. Si nullam
pœnam promissit, arbitrio Judicis condem-
natur. L. 26. C. b. t. l. 19. tit. 12. p. 5.
Si verò nec dies, nec scriptura intervenit,
si creditor non petat à fidejussore, quod
reum exhibeat, usque ad duos menses li-
beratur à fidejussione, nisi fidejussor in
negotio ad Regem, vel Communitatem
pertinente, vel fidejussio est in instrumen-

to publicò confecta, nam tunc usque ad
tres annos, sed non ultra durat. L. 19. t. 12.
p. 5. Si ille, qui sub certa pœna promissit,
aliquem in judicio exhibere, in pœnam inci-
dat, hæc debet peti intra annum, à die,
quo in pœnam incidit, sed eo elapso, jam
non potest amplius ab eo peti. L. 10. tit. 16.
lib. 5. R. C.

TIT. XXIII.

De Solutionibus.

210 *Solutio generaliter sumpta* pro
quacumque satisfactione debi-
ti sumitur, sive fiat acceptilatione, quæ
est imaginaria solutio, qua creditor debi-
tum habet pro accepto. L. 1. ff. de Accep-
tilat. sive novatione, qua vetus obligatio
in novam transfunditur, eodem creditore,
& debitore manente. L. 1. ff. de Novation.
sive delegatione debiti, qua tollitur prior
obligatio intervenit novi debitoris; qui
enim debet in delegationem consentire.
L. 1. & 6. C. de Novation. sive compensa-
tione, qua creditor rem, qua non est debi-
ta, loco solutionis accipit. L. 20. C. b. t.
sive transactione, sive pacto de non peten-
do, sive alio modo fiat. L. 54. ff. b. t. l. 47.
l. 76. ff. de Verbor. significat. l. 2. t. 14. p. 5.
specialiter tamen accepta solutio est rei de-
bita loco, & tempore debito creditori facta
restitutio. L. 49. l. 67. ff. b. t. l. 1. tit. 14.
p. 5. ibi: *Paga tanto quiere decir, como*
pagamiento, que es fecho à aquel, que debe
recibir alguna cosa, de manera, que sinque
pagado della, ò de lo qual deben hacer. Si
solvens sit Dominus rei, transfert in credi-
torem illius dominium. L. 10. C. b. t. si se-
cùs; jus usufruendi pro soluto. L. 46. ff.
de Usu. Debitorque ipso jure liberatur à
debito, omneque obligationes reales, perso-
nales, & accessoriae, ut fidejussiones,
pignora, & hypothecæ tolluntur. L. 43. ff.
b. t. l. 1. tit. 14. p. 5. Et sanè cum non pos-
sit, invito creditore, unum pro alio solvi.
L. 2. §. 1. ff. de Rebus credit. L. 3. tit. 14.
p. 5. Idipsum, quod debetur, solvendum
est, & cum in rem debitam debitor deter-
minatè habeat jus, non satisficit per aliam,
eriam æquè bonam; nec quod simul ac-
ceptum est, debet per partes solvi. L. 41.
§. 1. ff. de Usu. & fruct. l. 9. C. b. t. nisi
ex consensu creditoris, vel alia justa cau-
sa. L. 41. §. 1. de Usu. & qui factum pro-
missit, non satisficit offerendo interesse,
nisi quando factum promissum non potest

amplius prestari. L. 13. §. 1. ff. de Re judic.
l. 3. tit. 4. p. 5. Et cum in solutione non
attendatur materia monetæ, sed valor.
L. 1. ff. de Contr. empt. non est necesse so-
lutionem fieri in auro, v. gr. si in auro ac-
ceptum est mutuum, sed in quacumque
specie monetæ currentis fieri potest. L. 9.
l. 35. ff. de Aur. & arg. leg. nisi aliter ex
conventionem, vel statuto debeat fieri, vel
si creditor pateretur damnum ex solutio-
ne facta in diversa moneta. L. 99. ff. b. t.
Quod si tempore solutionis valor monete
sit mutatus, debitor satisficit solven-
do in moneta corrente secundum præsen-
tem valorem. Si inter contrahentes de
tempore solutionis sit conventum, eo ad-
veniente, etiam si creditor non urgeat,
solvi debet, quia dies interpellat pro no-
mine. c. fin. de Locat. L. 12. C. de Contrab.
Rip. l. 8. tit. 14. p. 5. Imò etiam ante-
quam adveniat, potest debitor solvere, si
ut frequenter fit, dies in ejus gratiam,
non verò creditoris adjectus sit. L. 70.
ff. b. t. Quin etiam ante diem solvat ex erro-
re, non habet conditionem indebiti. L. 10.
l. 27. ff. de Condiç. indebit. nisi ratione
celeris solutionis aliquid creditor ultra
forem percepisset. Si incertum sit, an
ille dies sit extitutus: v. gr. si dicatur
Quando Navis ex Hispania venerit, potest
condici tamquam indebitum, quod ante
talem diem est solutum, cum sit promissio
conditionalis, ac proinde nihil debeatur.
L. 18. ff. de Cond. indeb. Si verò certum
est, diem extitutum, licet ignoretur, quan-
do, v. gr. *solvam quando moriar*, non po-
test repeti solutum: cum illud absolutè
debitum sit quoad substantiam. L. 18. ff.
de Cond. indeb. si dies non sit adjectus so-
lutioni, potest differri ex tacita volonta-
te creditoris, donec ipse petat. L. 10. C.
de Pignori. Hinc, si creditor non petat
debitum ex igoarantia, vel timore, vel
alia causa, debet debitor statim solvere.
Molin. de Just. 19. 2. D. 564. si locus solu-
tionis sit assignatus, ibidem fieri debet so-
lutio. L. 9. ff. de eo, quod cert. loc. Et si
alibi petat creditor, plus loco petiti dicitur.
L. 2. §. 1. ff. eod. nisi debitor num-
quam ad locum assignatum veniret; nam
tunc alibi posset eum convenire. L. 1. ff.
eod. quando debitum ex delicto provenit,
ubi est creditor, debet solutio fieri, quia
perfectè indemnitas debet reddi à debito-
re. Si locus non est assignatus, & contrac-
tus est merè gratuitus, sufficit solvi, ubi
res erat promissionis tempore. Si in con-
tractu debeat reddi eadem res accepta, ut
in deposito, vel commodato, in loco rei
accep-